



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Ioannis S. R. E. Cardinalis Bona Opera Omnia**

Tribus Tomis comprehensa

Opuscula Spiritiva - I. Horologium Asceticum. II. Principia Vitae Christianae. III. Manuductio ad Coelum. IV. Via Compendii ad Deum. V. De Sacrificio Missae. VI. De Discretionem Spirituum ... Operum Eminentiss. Cardinalis, Tom. I

**Bona, Giovanni**

**Parisiis, 1677**

§. 3. De actuali devotione

**urn:nbn:de:hbz:466:1-9969**

In Missæ sacrificio suscepisse, ut si eos contingeret ea die mori, Viaticum illis foret ad vitam æternam. Multum verò hoc proderit sacerdoti ad mortis & æternitatis memoriam sedulò renovandam.

§. III. De actuali devotione.

**T**ertia dispositio in actuali devotione consistit, quam ut in se excitet sacerdos, satagere debet primò, ut quicquid de hoc ineffabili mysterio, cælestiumque charismatum thesauris in eo reconditis sacro-sancta docet Ecclesia, firma fide apprehendat cum sublimissima eorundem æstimatione. Verbis enim consecrationis ab eo prolatis, panis in corpus, & vinum in sanguinem Christi transsubstantiatur, atque ibi adest sub specierum velamine illud purissimum Christi corpus, quod pro salute nostra cruci affixum fuit: adest sanguis, qui pro nobis effusus est: adest anima gloriosa, in qua sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ Dei: adest Christus verus Deus & verus homo, mirabilis in maiestate sua, qui venturus est iudicare vivos & mortuos & sæculum per ignem. Necessaria secundò est ad excitandam devotionem humilitas, quæ præ cæteris virtutibus in hujus sacramenti institutione maximè enituit. Christus enim cum in forma Dei esset exinanivit semetipsum, & sub exiguis speciebus panis & vini corpus suum & sanguinem atque Divinitatem conclusit, seipsum exponens sceleratorum hominum injuriis, qui pleni immunditiis ad ipsum accedere, eumque pollutis manibus contrectare præsumunt. Par igitur est sacerdotem tantam humilitatem imitari, & in suum nihilum resilire, ac nihil de se præsumere. Sola humilitas est, quæ dignè nos præparat ad tantum hospitem suscipiendum. Nulla nostra dispositio, nulla industria, nulla virtus; sed sola Dei gratia nos dignos reddit: quare nostram debemus indignitatem agnoscere, & soli divinæ misericordiæ inniti. Tertio, quia Christus hujus mensæ delicias acerbissima sua passione nobis promeruit, sanctos sacerdotes legimus



ignem devotionis in se solitos succendere, jejuniis, flagellationibus, ciliciis, & aliis hujusmodi cruciatibus; quos imitari & nos debemus, Agno pro nobis occiso nosmetipsos immolantes, silentio, solitudine, abstinencia, sensuum custodia, non omissis exterioribus castigationibus juxta cujusque vires & conditionem. Multum denique prodest ad devotionem ingens fames, fervens desiderium, atque ardentissimus amor hujus angelici panis, ad quem sumendum nos amantissimè invitat Dominus dicens: *Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos.* Quod si desit hoc desiderium, illud saltem desiderare, & a Domino petere debemus ferventissimis amoris actibus; *desiderium enim pauperum exaudiet, & animam esurientem satiabit bonis.*

## CAP. III.

*Varie considerationes ante Missam.*

§. I. *Quanta sit sacerdotum dignitas, & quanta debeat esse sanctitas.*

**N**ULLA est inter homines dignitas, nulla excellentia, cui possit sacerdotalis sublimitas comparari. Omnium Principum fulgorem superat, omnium Regum potestatem excedit; illorum enim auctoritas circa temporalia & terrena versatur, sacerdotis autem potentia etiam ad æterna & cælestia extenditur, pro quibus comparandis omnes Principes & Reges ad sacerdotes confugere, opem eorum implorare, seque illis subicere non erubescunt. Ideò ab Apostolo dictus est sacerdos ab hominibus assumi, *ut offerat dona & sacrificia*; ac si super alios elevatus communem hominum conditionem antecellat, quasi mediator Dei & hominum *in his que sunt ad Deum* constitutus. A Malachia item propheta Angelis æquiparatur his verbis: *Labia sacerdotis custodient scientiam, & legem requirunt ex ore ejus, Angelus enim Domini exercituum est.*